confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter: appoſito perinde nomine *Jehova*, loco *Domini*, in Textu hebraico, ut promiſſus Meſſias, venturuſque Salvator, veri propriique nominis Deus intelligatur.

V. Non me fugit, quantum Judæorum oculos urat illa tam elegans tamque diſtincta *Dei* appellatio promiſſo Meſſiæ tributa, ac per nomen etiam Tetragrammaton *Jehova*, quod de nullo plane, niſi de vero Deo, figurate dicitur. Idcirco illorum aliqui, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Semichriſtianos Judaizantes ſecuti, Dei titulum ex Iſaiæ oraculo audacter expungunt. At ut diximus, audaces interpolatores falſi convincunt, Textus hebraicus, Paraphraſtæ Chaldæi, verſiones Syriaca, & Arabica, Dei nomen, ac titulum referentes. Alii in geminum Jeremiæ contextum petulantius graſſantur: iique duplici ordine diſtinguuntur. Alii enim legi nolunt, *hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*: quo ſignificatur, Chriſtum venturum a ſuis fidelibus vocatum iri, Dominum juſtum noſtrum, ſeu Dominum juſtificantem nos: ſed violato, pro nutu, ſacro Textu, legi malunt, *hoc eſt nomen quo vocabit eum Dominus, Juſtus noſter*; quaſi Meſſias vocandus ſit a Domino, *Juſtus noſter*: non ipſe tamen Dominus Deus ſit. Verum reclamant Hebraici Codices, punctis, & apicibus Maſſoreticis illuſtrati, Paraphraſes Chaldaicæ, verſiones Syriaca, & Arabica, verbum plurali numero *vocabunt*, non ſingulari *vocabit* referentes, ut plane fideles vocaturos, non vocaturum Dominum notent. Ut mittam, Deum, ſi *juſti* nomine Meſſiam vocaturus erat, non utique dicturum, *Juſtus noſter*, ſeu juſtificans nos; ſed potius *Juſtus veſter*, ſeu juſtificans vos: cum is non Deum, ſed populum juſtificaturus eſſet. Idcirco cæteri, eo relicto ſuffugio, cum Meſſiam Dominum juſtum noſtrum ipſo nomine *Jehova* nuncupatum, hoc loco videant, eo ſe recipiunt, ut dicant, ipſum quoque Tetragrammaton nomen *Jehova*, non per proprietatem quidem, ſed per translationem, creaturis quandoque tribui ſacris in litteris. Ut Geneſ. 22. v. 14. Mons ſuper quem Abraham ſacrificium obtulit, dictus eſt *Dominus videt*, uſurpato perinde nomine *Jehova*, loco τῦ *Dominus*; quod illic vidiſſet Deus, probaſſetque Abrahæ obedientiam. Exodi 17. v. 15. altare conſtructum a Moyſe ab eodem dictum eſt *Dominus exaltatio mea*, uſurpato nomine *Jehova*; quod ibi Deus Moyſem exaltaſſet, conceſſa illic victoria de Amalecho. Ezechielis Cap. 48. v. 35. Jeroſolyma dicitur *Dominus ibidem*, per vocabulum *Jehova*. Aberrant nihilominus iſti toto oſtio; nec ſuis illis exemplis quidquam evincunt. Nec enim mons, nec altare, nec Jeroſolyma, *Jehova*, ſeu Dominus abſolute dicuntur; ſed addito ubique vocabulo aliquo, exercitam illic operationem ſignificante: nempe *Dominus videt*, *Dominus exaltatio mea*, *Dominus ibidem*. Quare non ipſam Dei eſſentiam atque naturam, illis rebus convenientem ſignificat nomen *Jehova*; ſed divinam tantum operationem atque virtutem, iis in rebus elucentem. At in laudatis Jeremiæ locis, Meſſias *Jehova juſtus noſter* ſimpliciter dicitur: quo quidem Dei natura atque eſſentia, uti Meſſiæ propria denotatur. Maxime cum Meſſias perſona quædam ſit, quæ hujus appellationis capax eſſe poteſt; cætera laudatis exemplis allata, inanimata prorſus, in quæ Dei nomen ſimpliciter, & abſolute ſumptum, cadere non poſſe, nemo non videt. Quare non modo Deus in Chriſto, ac per Chriſtum juſtificat nos; ſed ipſemet Deus eſt, *Juſtitia noſtra*, ut habet textus hebraicus, hoc eſt, auctor juſtitiæ noſtræ.

Non eſt tamen diſſimulandum, non deeſſe eruditos Interpretes, ac ſumme Catholicos, qui ad ſecundum Jeremiæ locum mendum irreptitium putent in vulgata verſione: ac pro *vocabunt eum*, legi velint *vocabunt eam*, ut non ad Chriſtum promiſſum, ſed ad Jeroſolymam, cujus ibi mentio eſt, appellatio illa cadat, *Dominus juſtus noſter*. Et quidem generis fœminini pronomen referunt exemplaria nonnulla latina, ac ipſe quoque Textus hebraicus hodiernus. Septuaginta tamen Interpretes, Paraphraſtæ Chaldæi, & verſio Syriaca habent generis maſculini pronomen. Quæ haud levem ſuſpicionem ingerunt, vitiatum ibi potius eſſe hodiernum Textum hebraicum, quam vulgatam Eccleſiæ verſionem. Maxime cum verſiculus ille decimus ſextus Capitis 33. nuda ſit repetitio verſiculi ſexti Capitis 23. ubi maſculini generis pronomen, ſine controverſia poſitum eſt. Utcumque tamen ſe res habeat, quiſquis in poſtremo Jeremiæ loco, *eum* legerit, Chriſtum eo nomine inſignitum agnoſcet: *Dominus (Jehova) juſtus noſter*, ſeu *juſtitia noſtra*. Quicumque vero *eam* legi maluerit; Chriſtum nomen quoque ſuum, ſpirituali Jeroſolymæ, hoc eſt, Eccleſiæ communicaſſe, concedere compelletur. Quæ duo ad pręſentem, quam hic agimus cauſam ex æquo referunt. Seu enim *Jehova juſtus noſter*, hoc eſt, *juſtitia noſtra* Chriſtus eſt appellatus, ſeu ſuum ipſius nomen *Jehova*, Eccleſiæ ſponſæ ſuæ commune voluit eſſe, Deum illum eſſe perinde oportet.

VI. Diſpendium operæ fuerit, intactum hic præterire celebratum Zachariæ vaticinium; quod uti in Jeſu noſtro impletum memorat dilectus Apoſtolus Cap. 19. Evangelii, v. 37. ita luculentum eſt divinitatis argumentum in Chriſto prænunciato. Extat illud Cap. 12. v. 10. his verbis expreſſum: *Effundam ſuper Domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem Spiritum gratiæ, & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt*. Ex quo ita colligere licet: Qui illic loquitur, Deus verus profecto eſt; nec enim alius Spiritum gratiæ, & precum ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem effundere potuit, niſi Deus: is ille porro futurum ſpondet, ut in ipſum aſpiciant Jeruſalem habitatores, ipſumque configant. Deum itaque in aſſumpta certe natura, & aſpecturi erant, & confixuri Jeroſolymorum habitatores: iſque viciſſim humanam naturam aſſumpturus erat, ut ab iis configi poſſet.

Non ſum inſcius, variare Hebræorum exempla, & expreſſas inde ab antiquo verſiones, Græcam, Syriacam, & Arabicam, ac in nonnullis Hebræorum exemplis legi *dekarou*, *confixerunt*; in aliis *recadou*, *inſultaverunt*: nato nimirum errore ex duarum quamſimilium litterarum hebraicarum trajectione, ד daleth, & ר resh. At præterquam melioris notæ codices, ac longe plures priorem lectionem referunt, eamque calculo ſuo probavit Joannes Evangeliſta hebræus ex hebræis, laudato jam Evangelii loco legens, *videbunt in quem transfixerunt*: utcumque legere lubeat, perinde Jeſu noſtro patiente, impletum jure dicitur vaticinium Zachariæ, cum & illum Judæi confixerint, & illi cruci affixo Judæi petulantius inſultarint: De quibus narrat Matthæus Cap. 27. v. 39. *Prætereuntes autem blaſphemabant eum moventes capita ſua, & dicentes: vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: Salva temetipſum: ſi filius Dei es, deſcende de Cruce*.

VII. Cæterum, ne memorato ſub hujus diſputationis initium obice teneantur Hebræi, quominus ſummum illud fidei caput agnoſcant: neve Deum factum hominem a Deo mitti poſſe inficientur; quod plures in eo perſonas agnoſcere reformident, alteram ab altera ſpiritualiter genitam, Deum ſcilicet de Deo, Deum verum de Deo vero: (quamquam eſt hoc ex momentis ſecundo ordine poſitis abunde probatum) plenius tamen, ac luculentius, ex Pſalmo 2. & ex Pſalmo 109. demonſtratur. Prioris hæc verba ſunt v. 7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Alterius autem v. 1. & ſeq. *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum: tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech*. Quo ex loco Chriſtus noſter tam luculentam æternæ ſuæ ab æterno Patre generationis probationem eruit, ut Phariſæis ora præcluſerit: Ut eſt apud Matthæum Cap. 22. v. 41. Dum enim inquit Regius Vates: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*: & rurſus, *dixit Dominus Domino meo . . . . . in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te*, duas profecto perſonas ſecum veluti loquentes inducit, alteram ex altera genitam, & quidem ex æternitate: atque ita utramque divinam; cum nihil ex æternitate ſit præter Deum. Perſatuum enim eſt, quod recentiores Hebræi nonnulli contra Majorum ſuorum fidem commenti ſunt, verba hæc Davidis ipſius eſſe Salomonem alloquentis. Quis enim Salomonem, aut alium quemvis hominem in Splendoribus Sanctorum editum dicat? Quis ante Luciferum genitum fabuletur? Quis Salomonem, aliumve mortalem Sacerdotem æternum commentus eſt unquam, ac etiam ſecundum Ordinem Melchiſedech? Quis Davidem Salomonis hoſtes ad illius pedes proſtraviſſe ſibi fingat; gentes illi in hæreditatem dediſſe, totumque terrarum Orbem poſſidendum contuliſſe? Non alterius ergo, niſi Æterni Patris verba illa eſſe poſſunt Æternum filium alloquentis, in quem unum cadere poſſunt; ut multis oſtendit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos Cap. 1. v. 5. & ſeq. & Cap. 7. v. 3.

Plura addere facile fuerit, ſed jam ſatis eſt probationum. Audiendi modo Judæi in oppoſitum adnitentes, Chriſtumque a Deo promiſſum purum hominem futurum oſtendere aggredientes. At ut multa ad ſuam illam perfidiam ſuſtinendam congerere ſolent, quæ intra breve ſpatium expediri a nobis, atque refelli omnino non poſſunt: idcirco iſtud operis in alteram Exercitationem polemicam mittimus, majori otio perficiendum.

EXERCITATIO IX.

Judæorum promiſſi ſibi Chriſti divinitatem negantium, momenta refelluntur.

I. PRomiſſi Meſſiæ divinitate, quantum ex veteris Teſtamenti oraculis licuit, bono in lumine collocata; id unum nobis in præſenti reliquum eſt, ut Judęorum conatus improbos, quęis lucidiſſimę veritati nebulas offundere moliuntur, vanos prorſus, atque irritos oſtendamus. Qua in re id unum dolet, quod ab Arianis, ac Socinianis eodem errore implicitis vires accipiant, quibus in oppugnanda fide catholica audaciores fiunt, ac valentiores. Hujus tamen, cujus hic cauſam agimus, pręſidio tuti, fœderatorum Synagogę militum tela, eadem arte & opera retundemus.

Hoc itaque paralogiſmo Judęi primum in aciem veniunt. Deus, inquiunt, venturum Chriſtum hiſce verbis promiſit Moyſi, Deuteronomii Cap. 18. v. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis, de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui; & ponam verba mea in*

ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Non eſſet autem ſimilis Moyſi, ſed eo longe major, ſi Deus re ipſa foret. Qua ratione eum Moyſe digniorem facit Apoſtolus noſter, ad Hebr. Cap. 3. v. 3. *Amplioris gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam*. At quidni, quęſo, ex quo Deus factus eſt homo, ex conditione aſſumptę naturę Moyſi ſimilis eſſet, qui nobis omnibus ab eodem Apoſtolo ſimilis dicitur? Ad Philippenſes 2. v. 7. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Tametſi ex divinæ naturæ conditione Moyſem infinitis titulis antecellat.

Urgent nihiloſecius: Adeo non erat Chriſtus noſter verus Deus, ut potius ſe a Deo derelictum faſſus ſit, de Cruce exclamans, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Nempe id neſciunt cęci homines, & in iſto argumenti genere minus verſati, & eruditi, in extrema vitæ periodo Divinitatem Chriſtum Dominum deſeruiſſe foris, ut non eſſet illi ad defenſionem contra tortores, atque carnifices; quo acerbius pro nobis pati poſſet: non deſeruiſſe tamen intus, quoad unionem hypoſtaticam, ut Deus, Deique filius ſemper eſſet. Qua de re plenius diſputabimus loco ſuo. Quamquam ſi quoad unionem hypoſtaticam in extrema vitæ periodo deſeruiſſe fateremur, Judæi vel ex hoc capite cauſa caderent. Inde quippe conſequens eſſet, Chriſti Domini humanitatem toto antea vitæ decurſu ea unione hypoſtatica fuiſſe donatam.

II. At ecce inſurgit illorum unus, qui in rebus noſtris, atque in hiſtoria Evangelica præ cæteris Sodalibus verſatus videri amat: Uſque adeo conſcius ſibi erat Jeſus noſter, non eſſe ſe Deum, ac Dei filium, imo nec Chriſtum a lege promiſſum; ut quamquam per circuitus, & ambages, eum ſeſe quandoque jactaret, numquam tamen aperte, diſtinſte, conceptiſque verbis eum ſe præbuerit, ac venditarit, a Judæis quantumlibet provocatus: Joann. 10. v. 24. *Circumdederunt eum Judæi, & dicebant ei, quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*: Quin etiam Matthæi 16. v. 20. *Tunc præcepit Diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus*.

Quibuſnam, quæſo, hæc ediſſerit Recutitus? Chriſtianis non puto, hiſtoriam Evangelicam probe callentibus: Turcis fortaſſe, aut Sinis, nonniſi Alcorani deliria, & Confucii ſomnia lectitantibus. Quotquot enim Evangelium evolverunt, norunt ſane, quam ſæpe, quam clare, atque diſtincte Chriſtum ſeſe, Deique filium dixerit Jeſus noſter: Joannis Cap. 4. v. 25. *Dicit ei mulier Samaritana, ſcio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus. Cum ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia. Dicit ei Jeſus, ego ſum, qui loquor tecum*. Matthæi 26. v. 63. *Princeps Sacerdotum ait illi; Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus, filius Dei vivi. Dicit illi Jeſus, tu dixiſti*. Hoc eſt, ex Hebræorum loquendi formula, ita eſt, ut dixiſti. Marci Cap. 14. v. 61. *Summus Sacerdos interrogavit eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Jeſus autem dixit illi, ego ſum*. Lucę Cap. 22. v. 66. *Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum dicentes, ſi tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis: ſi vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis ſedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes, tu ergo es filius Dei? Qui ait, vos dicitis, quia ego ſum*. Hoc eſt, ego ſum uti dicitis. Unde ſubiunxerunt. *Quid adhuc deſideramus teſtimonium?*

Ipſi

Ipſi enim audivimus de ore ejus ; nempe eſſe ſe filium Dei . Joannis Cap. 10. v. 36. *Vos dicitis quia blaſphemas , quia dixi , filius Dei ego ſum* , Quin & hoc ipſo, qui nobis obiicitur, loco Joan. 10. v. 24. Cum Jeſu noſtro dixiſſent Judæi : *Quouſque animam noſtram tollis ? Si tu es Chriſtus , dic nobis palam* : hoc ipſum , quod quærebatur , profeſſus eſt palam : ſubiungit enim Evangeliſta : *Reſpondit eis Jeſus, loquor vobis , & non creditis* : Nempe quod ex me quæritis, loquor vobis , nec tamen creditis : *Opera , quæ ego facio in nomine Patris mei, ecce teſtimonium perhibent de me : ſed vos non creditis, quia non eſtis de ovibus meis*. Imo uſque adeo palam ſe , aperteque Dei filium præbuerat Jeſus noſter toto vitæ decurſu, ut hac ipſa de cauſa a Judæis ad mortem poſtulatus ſit . *Nos legem habemus*, ajebant illi, *& ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit* : Joann. 19. v. 7. Quotquot etiam ſe illi primum adiunxerant , eumdem uti Meſſiam, ſeu Chriſtum a Lege , & Prophetis promiſſum habebant : Joan. 1. v. 41. *Andreas invenit Simonem , & dicit ei , invenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus*. Et v. 45. *Invenit Philippus Nathanaelem, & dicit ei , quem ſcripſit Moyſes in Lege , & Prophetæ , invenimus Jeſum filium Joſeph a Nazareth* . Quod ergo Apoſtolis præceperit Jeſus, ne cui tunc dicerent, ipſum eſſe Chriſtum ; non ideo fuit, quod talem ſe ipſe non præberet, palamque non prædicaret : ſed quod unius tunc Chriſti miſſionis tempus eſſet , non item Apoſtolorum : nec in hujus miniſterii partem ingredi poſſent ii, niſi poſt Chriſti mortem, & illapſum Spiritus S. Prius enim pro tuenda veritate Jeſum mori neceſſe fuit, quam cæteros pro eadem illa vitam profundere.

Sed neque ſe Deum eſſe tacuit Chriſtus, quamquam ex ore ejus numquam vox illa prodierit , *Deus ego ſum* : quia eos ſibi titulos ſumpſit, qui uni Deo congruunt ; unde & ipſi Judæi ſatis dignoſcerent , eum pro Deo prorſus haberi velle . Hinc Joan. Cap. 5. v. 17. cum in Judæorum cœtu dixiſſet Chriſtus : *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor* ; mortem illi ſtatim intentarunt, quod ea loquendi ratione *Patrem ſuum diceret Deum, æqualem ſe faciens Deo* . Non abſimiliter Joan. 10. v. 30. Cum alio in cœtu dixiſſet Chriſtus, *Ego, & Pater unum ſumus* ; Divinitatem ſibi his verbis attributam intellexere Judæi ; ſumptiſque , quibus illum obruerent, lapidibus, dixere : *De bono opere non lapidamus te , ſed de blaſphemia , quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum* . Rurſus Joan. 8. v. 58. cum perinde dixiſſet Chriſtus , *Amen amen dico vobis , antequam Abraham fieret , ego ſum* : arrogatam ſibi eo verbo æternitatem , divinitatemque intellexere ; eaque de cauſa , *tulerunt lapides , ut jacerent in eum* . Cur porro non ita perinde diſtinctis, conceptiſque verbis Deum ſeſe dixerit Chriſtus toto mortalis vitæ tempore, ac ſubinde dixere , atque ſcripſere ejuſdem Diſcipuli , & Apoſtoli ; ratio in promptu eſt : quod necdum tunc Trinitatis Myſterium expreſſe , diſtincteque revelatum eſſet ; ſed ſubobſcure tantum , & in velamine Sacrificiorum , & figurarum : adeoque periculum eſſet , ne hac ipſa de cauſa Chriſti prædicationem Judæi rejicerent , ſi Deum a Deo , (quem perſona, non ſecus ac natura unicum noverant) miſſum audiret : donec illapſu Spiritus S. plenioris, diſtinctiorisque revelationis recipiendæ capaces fierent . Neque enim æſtimare par eſt, Judæorum vulgus ullam tunc Myſterii Trinitatis notitiam habuiſſe , nomineque *filii Dei*, quod ſibi ſumebat Chriſtus , alteram Trinitatis perſonam intellexiſſe , ejuſdem cum æterno Patre naturæ , atque ſubſtantiæ : ſed ſingularis dumtaxat ſanctitatis , & excellentiæ virum , a Deo ad ſalutem Iſraelis ſpecialiter miſſum . Non eſt itaque cur ſilentium Chriſto noſtro objiciant recutiti .

III. Nova tamen hic oritur difficultas, quæ ut aliquos male torquet , ita a nobis reſolvi poſtulat . Sit ita , inquiunt aliqui , Chriſtus ſe filium Dei vocitarit, eoque illum ornarint titulo Apoſtoli ejus, atque Diſcipuli ; attamen nonniſi filius Dei adoptivus erat , ea videlicet adoptione , quæ ex gratia , ſingularibuſque Spiritus S. donis ſoboleſcit ; non filius naturalis ex ipſa Patris ſubſtantia genitus , ejuſdemque naturæ divinæ communione conſubſtantialis . Id ex duplici Scripturæ loco colligere ſibi videntur . Primus occurrit Joan. 10. ubi cum Chriſtus adſtantibus Judæis ſe ipſum Dei filium nuncupaſſet ; iique idcirco commoverentur, eumque lapidibus oppetere vellent , quaſi per ſummam blaſphemiam Dei titulos ſibi arrogaſſet ; Chriſtus eorum impetum ſedavit his verbis , quibus emiſſum verbum interpretatus eſt , & emollivit , v. 34. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra*, (Pſal. 81.) *ego dixi Dii eſtis , & filii excelſi omnes? Si illos dixit Deos , ad quos ſermo Dei factus eſt , & non poteſt ſolvi Scriptura : quem Pater ſanctificavit , & miſit in Mundum , vos dicitis , quia blaſphemas , quia dixi , filius Dei ſum* ? Ex quibus ita colligunt : Idcirco probat Chriſtus Dominus, nullam ſe blaſphemiam admiſiſſe , Dei filii titulum ſibi arrogando, quia in Scripturis , filii Dei , ac etiam Dii appellantur ii , ad quos ſermo Dei factus eſt : at ii ad quos factus eſt ſermo Dei , Prophetæ nimirum , & Juſti veteris Teſtamenti , non aliter Dii dicuntur , & filii Dei , quam ex gratia adoptionis : non itaque alio ſenſu Chriſtus ipſe filius Dei , ac Deus haberi voluit . Rurſus filiationem ſuam idcirco probat eo loci Chriſtus Dominus , quia a Patre ſanctificatus eſt : *Quem Pater*, inquit, *ſanctificavit , & miſit in mundum , vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi , filius Dei ſum?* Non alia ergo filiatio illi eſt, quam quæ ſanctificatione obtinetur : hæc porro non niſi gratuita eſt ; & adoptiva . Et quidem ſi Chriſtus naturalem ſe Dei filium, verumque Deum appellaſſet , nuſquam ſe contra Judæos ab ea , cujus accuſabatur blaſphemia liberaſſet , allato Prophetarum , atque Juſtorum exemplo, quos Scriptura nonniſi improprio , & translatitio ſenſu Deos appellat . Hoc primum.

Alterum ex Lucæ Cap. 1. petitur argumentum , ubi Angelus Chriſti Incarnationem Virgini parituræ prænuncians ; cum illa adeo fælici Nuncio reſpondiſſet , *quomodo fiet iſtud , quia virum non cognoſco ?* Repoſuit v. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te , & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi : ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum , vocabitur filius Dei* . Ideo ergo Chriſtus de Virgine natus , vocatus eſt filius Dei, quia ſuperveniente Spiritu Sancto , & obumbrante Altiſſimo conceptus eſt : At filiatio , quæ non aliter habetur, quam merito puriſſimæ conceptionis temporalis , & ex ſuperveniente Spiritu Sancti gratia , accidentaria dumtaxat eſt, adoptiva, gratuita, non naturalis , ac ſubſtantialis, quæ ex æternitate , ac neceſſario habetur : Chriſtus igitur filiationem divinam , ſubſtantialem , naturalem , æternam non habet ; ſed ut maxime gratuitam, accidentariam, uno verbo dixerim , adoptivam . Hoc alterum quod aliquos male torquet argumentum .

IV. Non eſt tamen difficile utrumque refellere . Ad id ergo , quod primo loco poſitum eſt, reponi in primis poteſt : Chriſtum , quoties ſe Dei filium turbas alloquens vocitavit , non illico id omne ab iis intelligi voluiſſe , quod illis ſuberat verbis ; eſſe ſe nimirum Dei filium naturalem ex æterni Patris ſubſtantia genitum : quia necdum expreſſe, diſtincteque revelato Trinitatis Myſterio, æterna illa ſecundum ſubſtantiam generatio , longiſſime erat a Judæorum intelligentia , ſenſuque disiuncta : ſed id unum tunc temporis intelligi voluiſſe , illum ſe eſſe ſingularis virtutis, ſanctitatis, & excellentię virum , quem venturum in ſalutem Iſraelis, Lex, & Prophetę promiſerant . Adeoque nihil mirum , ſi eo ſe titulo in eum dumtaxat ſenſum intellecto dignum probarit, Prophetarum, ac Juſtorum exemplo, qui cum tantę dignitatis , & excellentię non eſſent, Dii tamen, ac filii Dei ſunt appellati, Pſalmo 81. v. 6. *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes* .

Quidni quoque reponamus : Chriſtum Dei filii titulum ſtricto prorſus ſenſu, (ut re vera erat) ſibi arrogantem ; objectam ſibi a Judęis blaſphemię notam depuliſſe , non facta comparatione ſui ipſius cum Prophetis, & Juſtis ; qui ideo tantum dicti ſunt Dii, ac Dei filii , quia ad ipſos *ſermo Dei factus eſt* : ſed argumento , ut Logici loquuntur, a minori ad majus : Quaſi diceret , ſi illos Scriptura Deos appellat , ad quos ſermo Dei factus eſt, Prophetas ſcilicet, ac Juſtos veteris Teſtamenti ; quanto magis citra blaſphemiam, filius Dei appellari poteſt ille, qui ſubſtantialis Dei ſermo eſt? Si Juſti quilibet filii Dei nuncupantur vel hoc ſolo titulo, quod per adventitiam, & accidentariam Spiritus S. gratiam ſanctificati ſunt ; quanto magis eo titulo dignus erit ille , quem Pater ſanctificavit ea ſanctificatione ſubſtantiali , quam ex ipſa ſui ęterna generatione ſortitur : de qua Paulus ad Romanos 1. v. 4. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis*, nimirum ęternę .

Suo loco non omiſerim obſervare , celebratum regii Vatis oraculum, *Ego dixi dii eſtis , & filii excelſi omnes*, de juſtis & prophetis veteris Teſtamenti non eſſe dictum ; uti qui illud ad Chriſti divinitatem oppugnandam, nobis obiiciunt, perperam arbitrantur ; ſed de Judicibus Iſraelis, & quidem iniquis ; quos toto illo Pſalmo 81. coarguit Deus, ſuique admonet officii ; Deos tamen , & excelſi filios, per figuram appellat, ratione videlicet dignitatis & poteſtatis , qua populis dominantur ac præſunt . Noſtra tamen, in pręſenti diſputatione, nil refert : cum, de quibuſvis dictum illud lubeat intelligere, pari nobis abuſu poſſit obiici , pari a nobis facilitate diſſolvi .

Alterum ex verbis Angeli Virginem ſalutantis delibatum argumentum, mero laborat ęquivoco ; quod enodare , & expedire facile ſit . *Spiritus S.* inquiebat Nuncius ille cœleſtis, *ſuperveniet in te , & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi : ideoque quod naſcetur ex te ſanctum , vocabitur filius Dei* . Bene profecto : at perperam infertur ; Chriſtus ergo habet , quod filius Dei ſit appellatus , quia obumbrante Spiritu Sancto conceptus eſt . Minime gentium ; quia τὸ *naſcetur ex te* non applicat ſupra perſonam Chriſti abſolute , & ſecundum ſeſe ſpectatam, ſed ſupra perſonam , quatenus ſubſiſtit in natura aſſumpta . Nihil itaque aliud ſibi volunt Angelica verba , quam, obumbrationem Spiritus Sancti , qua deipara Virgo fœcundata eſt, in cauſa fuiſſe, cur homo ille ex Virgine natus, filius Dei vocetur , & ſit . Quatenus ſcilicet humana natura ex Spiritus Sancti obumbratione obtinuit , ut Dei filio hypoſtatice jungeretur ; eaque ratione Dei filius vocaretur , & eſſet , quod ex Virgine natum eſt . Non itaque abſolute , ac ſine modo inferendum eſt, Chriſtum ex ſua Conceptione temporali habuiſſe, quod filius Dei nominetur : ſed reſtricte, Chriſtum ut hominem, eam filii nomenclaturam obtinuiſſe, ex ea conceptione puriſſima, qua humana natura hypoſtatice Verbo Dei unita eſt .

Si cui forte reſponſum iſtud videtur obſcurius, & impeditius , iſtud alterum ſibi habeat . Ideo Chriſtum Dei filium dictum eſſe, quod obumbrante Spiritu Sancto de Virgine Matrę conceptus ſit : quia vel ex hoc ſolo , quaſi a poſteriori, & a ſigno externo , Chriſtum Deum eſſe , ac Dei filium naturalem certo colligimus : propterea quod ſoli Deo temporaliter genito, mira illa , ac prodigialis conceptio debeatur : juxta quod Eccleſia canit, *Miretur omne ſæculum , talis decet partus Deum* . Unde non ait Angelus , *Ideoque quod naſcetur ex te, erit filius Dei* ; ſed *vocabitur filius Dei* : nimirum ab hominibus , eum ex hujuſmodi ſigno dignoſcentibus . De cætero enim ratio a priori, ac neceſſaria cur Chriſtus verus ſit, ac naturalis Dei filius, eſt, quia ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus eſt . En tibi enervatum illum , non Judæorum quidem, (nec enim ſolent illi adeo ſubtiliter diſputare) ſed Arianorum , & Socinianorum Achillem .

V. Quandoquidem autem in hanc aleam cum Arianis, ac Socinianis ingreſſi ſumus : juvat levi ſaltem manu reliqua momenta refellere , quibus Chriſti divinitatem pari perfidia aggrediuntur . Congerunt itaque illi ea omnia Evangelii loca , ubi Chriſtus ſuæ veluti conditionis, & ſortis oblitus, Divinitatis titulos recuſare, atque a ſe amovere viſus eſt : ut præſcientiam rerum omnium , ac præſertim extremi judicii , quam ſibi ineſſe diffitetur , Marci Cap. 13. *De die illa nemo ſcit , neque filius hominis* : ſummam largendi cui voluerit Regni Cœleſtis poteſtatem , quam ſe habete negat, Matth. 20. v. 23. *Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis , ſed quibus paratum eſt a Patre meo* : omnipotentiam , qua ſe præditum negat Joan. 5. v. 23. *filius non poteſt a ſe facere quidquam* : æqualitatem cum Patre, quam ſibi fatetur indebitam , Joan. 14. v. 28. *Pater major me eſt* : ſummam bonitatem , Marci Cap. 10. v. 18. *Cur me dicis bonum? Nemo bonus , niſi ſolus Deus* . Quo ultimo loco ſupremam bonitatem uti ſibi minus debitam, non modo a ſe amovet , ſed ea maxime ratione, quod Deo ſoli debeatur : ſatis profecto innuens ab eo ſe titulo longe eſſe . Adreſtim funiculum addunt, Apoſtoli dictum, ad Romanos Cap. 1. v. 4. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis* , Cum enim prædeſtinatio non ſit, niſi de rebus liberis, & futuris ; eum nec ex æternitate, nec ex neceſſitate naturæ, Dei filium eſſe colligunt , ſed ex tempore tantum , atque ex liberæ adoptionis gratia, qui divina prædeſtinatione factus eſt filius Dei .

Sed ſunt hæc plane ludicra, atque futilia . Utque ſingula diſtincte percurram : Quis prudens diffiteri audeat , extremi judicii diem fuiſſe Chriſto perſpectam, ſi quæ de ipſo Scriptura narrat, pauliſper attenderit? *Conſtitutus eſt judex vivorum , & mortuorum* : Ut ait D. Petrus Act. 10. v. 42. Quis porro judex ignoret pronunciandæ ſententiæ , & ferendi judicii diem? Auctor ille eſt ſæculorum , atque ita extremæ diei : *Per quem fecit & ſæcula*, ad Hebræos Cap. 1. v. 1. Quis vero opifex ſuum opus ignoret ? In illo *theſauri omnes ſcientiæ , & ſapientiæ* conditi erant : qua ergo forte hoc illum divinæ ſapientiæ arcanum latuiſſet ? Idcirco itaque extremum judicii diem ſe neſcire reſpondit , ab Apoſtolis interrogatus , quia Dei Patris Legatus erat ad homines miſſus ; atque ita Legatorum more reſpondit, qui ea ſe neſcire dicunt, quæ tenent ſub ſigillo : ea quippe re ipſa neſciunt ut Legati, quia eorum revelatio illis delegata non eſt . Nec propterea aut amphibologia , aut æquivocatione uſus eſt Chriſtus, ut nonnullis Chriſtianæ morum diſciplinæ corruptoribus viſum eſt, qui eo Chriſti exemplo abutuntur, ut æquivocationum , & amphibologiarum uſum fidelibus licitum faciant .

Non,

inquam, iis uſus eſt Chriſtus, quia cum verba ſignificandi vim ex publico uſu recipiant, quiſquis verbis juxta publicum uſum ſignificantibus utitur, ſine æquivocatione, & amphibologia cenſendus eſt loqui: nec mentis, ut ajunt, reſtrictione opus habet, ne mendacii reus evadat ita loquens. Porro verbum *neſcio* in ore Legati de ſecreto Regis interrogati, ex publico uſu in quacumque Republica bene conſtituta recepto, id ſonat unum, *neſcio ut revelem*; etſi aliunde noverit, ut occultet. Quare Legatus, qui ita ore rotundo ſe neſcire reſpondet, ubi de ſecreto principis interrogatur, tam non mentitur, nec æquivocatione utitur; quam nec Confeſſarius, qui de rebus in ſacro Tribunali auditis interrogatus, ſimpliciter, & abſolute reſpondet, *Neſcio*: quia nimirum ex publico Eccleſiæ uſu, verbum *neſcio* id unum in ejus ore ſonat, neſcio ut homo, neſcio ut revelem: adeoque mentis reſtrictione non indiget, qui ſic loquitur, ut mendacium evitet; ſi tamen nugaci illa arte vitari poſſet. Cæterum Chriſtum Dominum, aut etiam Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos æquivocis, aut amphibologiis uſos eſſe, commentum eſt inſulſum, erroneum, impium, ab univerſo Clero Gallicano damnatum ſolemni Cenſura, anno 1700. die 4. Septembris pronunciata, adverſus hæc, aliaque fætida ſordentium quarundam ſcholarum purgamenta. Propoſitio Epiſcoporum cenſuræ ſubjecta hæc erat: *Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus, nedum viri juſti, & ſancti æquivocationibus, ſive amphibologiis, & reſtrictionibus uſi ſunt:* Epiſcoporum vero cenſura his verbis expreſſa fuit; *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria; myſtice, prophetice, parabolice, ſive æconomice, ad inſinuandam altius veritatem dicta, vel tacita, cum vulgaribus geſtis confundit, Sanctorum Patrum acta ludibrio vertit, ipſis etiam Angelis injurioſa, erga Chriſtum contumelioſa, & impia.* Ita Religioſiſſimi, doctiſſimique Præſules Galliarum. Sed hæc obiter, ad eam aſſertionem morum corruptricem refellendam. Alia jam Judæorum, & Arianorum objecta paucis expedio.

VI. Quo titulo extremi judicii diem perſpectam habuit Chriſtus Dominus, ita & habuit conferendi cui liberet Regni Cœleſtis arbitrium, quod nobis ſanguine ſuo mercatus eſt. Annon enim Cœleſte Regnum pro ſumma poteſtate latroni pœnitenti largitus eſt? Tantumque abeſt, ut hoc ineſſe ſibi negarit arbitrium, filiorum Zebedæi Matrem alloquens, quin potius confirmavit. Non enim ait, *non eſt meum dare, ſed Patris:* verum *non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre.* Quaſi dicat, non eſt æquum dare vobis titulo, quem obtenditis, conſanguinitatis: ſed iis dandum eſt, quibus ob virtutis meritum a Deo Patre, & a me quoque paratum eſt. Uno verbo, non ineſſe ſibi negat conferendi poteſtatem, ſed iis ineſſe negat obtinendi meritum, qui a Deo Patre prædeſtinati non ſunt.

Quod ad Omnipotentiam attinet, plana res eſt, non poſſe filium *a ſe facere quidquam*, hoc ſenſu: quod uti naturam habet a Patre, non a ſe ipſo; ita & agendi virtutem, quæ divinæ naturæ eſt indivulſa, non habet a ſe, ſed a Patre. Nec tamen idcirco minus poteſt: imo, ut ait ipſemet, *quæcumque Pater fecerit, hæc & filius ſimiliter facit*, Joannis 5. v. 19. Id itaque non imbecillitatis, ſed ſuæ a Patre proceſſionis eſt argumentum.

Ruit mole ſua illud alterum de æqualitate cum Patre, quam Chriſtum his verbis negaſſe volunt, *Pater major me eſt*. Per omnium quippe ora volitat trita reſponſio, Chriſtum uti hominem Patre quidem eſſe minorem, tametſi uti Deus, ſit illi non æqualis modo, verum etiam omnino conſubſtantialis; juxta vulgatum illud Symboli Divo Athanaſio perperam adſcripti: *Æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem:* quo vel uno, Chriſti Domini dictum Arianis eripitur. Quia tamen interpretationem illam minime patiuntur quorumdam Patrum teſtimonia, Gregorii ſcilicet Nazianzeni, Baſilii, Cyrilli Alexandrini, Chryſoſtomi, Athanaſii, Tertulliani, Hilarii, qui Chriſtum etiam uti Deum, quodam dicendi modo, Patre minorem agnoſcunt; idcirco iſtud quoque ad ſolutionis cumulum addimus: Patrem æternum, in ratione principii proceſſionis, quadam (ut Schola loquitur) relata dignitate, atque præſtantia gaudere, Filio, ac Spiritui Sancto minime communi. Sic etenim Pater, & Filii, & Spiritus Sancti principium eſt, ut ii viciſſim Patris principium nequaquam ſint. Quæ tamen excellentia, atque præſtantia, cum mere relata ſit, abſolutam in natura æqualitatem minime lædit. Ne quis vero putet, quæſitum de Scholæ tribulis, ac vepretis ſuffugium illud eſſe, potius quam genuinum Patrum illorum interpretamentum; S. Cyrilli verba dabo, quibus & ſuam, & aliorum Patrum ſententiam in eum plane modum exponit, lib. 11. Theſaurorum: *Cum ſecundum ſubſtantiæ rationem æqualis ſit Patri filius, & per omnia ſimilis, majorem tamen ipſum dicit, (Pater major me eſt) tamquam principio carentem, cum habeat ipſe principium; eo ipſo dumtaxat, quod ex Patre eſt, tametſi cum eo exiſtentiæ ratione conveniat.*

Quintum minus urget, ſi Chriſti loquentis ſcopum attendimus. Dum enim cuipiam eum Magiſtrum bonum appellanti reſpondit, *cur me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus*, non ineſſe ſibi, aut bonitatem, aut Divinitatem inficiari voluit, ſed interrogantis incredulitatem retundere; qui, cum ipſum Deum nollet agnoſcere, bonum eum nihilominus appellabat. Quare argumento velut ad hominem uſus, dixit: cum me Deum abneges, quid me tamen bonum appellas? Cum bonus vere nemo ſit, niſi ſolus Deus.

Poſtremi, quod Pauli eſt, teſtimonii explicandi duæ apparent viæ. Una eſt, ſi dicamus cum Doctore Angelico, in ea propoſitione, *Chriſtus prædeſtinatus eſt filius Dei*, τὸ *filius* propoſitionis ſubjectum eſſe, non prædicatum: quo ſignificetur, filium Dei prædeſtinatum eſſe, ut homo fieret, hominesque redimeret. Altera, ſi dixerimus τὸ *Chriſtus* non ſupponere pro perſona abſolute ſumpta, ſed quatenus in humana natura ſubſiſtit: ut ſit ſenſus, humanam naturam in Chriſto prædeſtinatam eſſe, ut aſſumeretur ad conditionem Filii Dei, per unionem hypoſtaticam cum Verbo Dei. Qua duplici explicatione difficultas omnis eliſa eſt.

Alterum minus moror, a nonnullis objici ſolitum, ex Chriſti Domini verbis, Joannis 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te*, (Patrem) *ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum:* quaſi Patri ſoli Divinitatem adjudicaſſet, ſibique ipſi negaſſet. Tantum enim abeſt, ut id verbo illo ſignificatum voluerit Chriſtus Dominus, ut potius ſibi perinde ac Patri Divinitatem arrogarit. Hoc enim ad excludendam Deorum multitudinem dictum eſt, idque ſonat unice, Patrem æternum, filiumque ab illo miſſum in mundum, unum ſolumque Deum eſſe, non duos. Eſt itaque in ea periodo vocabulum *ſolus*, epithetum Dei, non Patris: aut certe ſi refertur ad Patrem, non illum afficit unice, ſed Patrem ſimul ac filium; ut ambo, ſolus & unicus Deus eſſe intelligantur. Uti plane in hoc altero Apoſtoli dicto, 1. ad Corinthios 9. v. 6. *Numquid*

ego

ego ſolus, & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi? τὸ *ſolus* ad utrumque refertur Apoſtolum, non ad Paulum unum; perinde ac ſi diceret: *numquid nos ſoli, ego & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi;* nempe, *Mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Eſtque idcirco dictum, non de Paulo duntaxat, ad excluſionem Barnabæ; ſed de Barnaba ſimul & Paulo, ad excluſionem cæterorum Apoſtolorum.

In eumdem ferme ſenſum excipere juvat, quod ait Apoſtolus 1. ad Corint. Cap. 8. v. 5. *Etſi ſunt, qui dicantur Dii, ſive in Cælo, ſive in terra, (ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater; ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus; per quem omnia, & nos per ipſum.* Pater ſiquidem excellentia quadam & appropriatione, unus illic dicitur Deus; quod ſit totius divinitatis fons & origo: qua ferme ratione Creator atque omnipotens antonomaſtice dicitur; quin idcirco iis titulis filius defraudetur. Quemadmodum ergo, quod unus ab Apoſtolo dicatur Dominus, Jeſus Chriſtus, eo titulo non exuitur Pater; ita quod unus Deus dicatur & Pater, eo titulo non exuitur filius: ſed quid unicuique, ex quadam appropriatione conveniat, indicatur.

Quamquam ſi res ipſa, menſque Apoſtoli paulo penitius perpendatur; τὸ *Pater* eo in oraculo, non proprie ſumitur, ut primam ſignificat Trinitatis perſonam, ſed improprie & communiter; ut primum rerum omnium effectivum principium ſonat; juxta illud Deuteronomii 32. v. 6. *Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Senſuſque Apoſtolicæ ſententiæ eſt: Deum nos unum agnoſcere, rerum omnium conditorem; non illam falſorum numinum multitudinem, qui & in Cælo & in terra dicuntur eſſe: uti & unum agnoſcimus Dominum Jeſum Chriſtum, qui obita morte peculiarem quemdam in omnes homines dominatum obtinuit: juxta quod ait Apoſtolus, ad Rom. 14. *In hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.*

At interim, dum Arianos inſequor, a ſuſcepto munere, & inſtituta cum Hebræis diſputatione procul abſcedo. Dum enim promiſſum ſibi Chriſtum Deum fore diffitentur, ac etiam evincere ſatagunt, a Sanctorum Patrum teſtimoniis, & a Scholæ noſtræ ſubtilitatibus procul abſtinent, in quibus fatentur, mediocriter ſe eſſe verſatos. Quare ab opere ſupervacuo abſtinendum, & progrediendum ad alia.

EXERCITATIO X.

De poſtrema promiſſi Meſſiæ nota; Seu de partu Virgineo, quo in lucem edendus erat.

I. DE partu Virgineo, quo Chriſtus in lucem edendus erat, nulla nobis cum Judaica Synagoga lis eſſet, ſi Deum illum futurum (quod jam abunde probavimus) una nobiſcum agnoſceret. Quid enim tam Deum deceat, hominem inter homines prodituram, quam de illibata Virgine naſci? At, ut illud perfracte negant, ita & iſtud pari audacia, atque perfidia diffitentur. Quare ut poſtremam iſtam promiſſi Meſſiæ notam ex ſuperiori jam ſponte fluentem paucis expediam, rem ferme totam ad unius Iſaiæ oraculi criterium revoco, cujus occaſione gravis Chriſtianos inter, atque Judæos controverſia dudum emerſit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, Iſaiæ

Cap. 7. v. 14. Quod in Deiparæ partu impletum eſſe, teſtatur Matthæus Cap. 1. v. 22. *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo in utero habebit filium &c.*

Utque id ab omnibus intelligi facile poſſit, occaſionem, qua fuſum oraculum eſt, paucis exponam. Raſin Rex Syriæ, & Phacee Rex Iſrael ſociatis viribus, & copiis Civitatem Jeruſalem obſidione cinxerant, eamque vehementer urgebant, & Achazum Regem Juda ad extremas anguſtias adigebant: cum Deus, miſſo Iſaia Propheta, Regi Achazo periclitanti fecit animum, ſpopónditque brevi futurum, ut ab iis hoſtibus eximeretur. Is minus integram fidem Prophetæ præſtitit; quod in tam præcipiti rerum eventu, promiſſam liberationem ab omni veri ſpecie remotiſſimam exiſtimaret. Quapropter, ut promiſſis fidem adderet Iſaias, ſpopondit, ſe miraculum quodcumque liberet, in Achazi oculis editurum, in editæ Prophetiæ confirmationem. Renuit impius Rex, nolle ſe, inquiens tentare Dominum. Tunc deſpectum ſe ſentiens Iſaias, converſo ſermone ad domum David, cui duram in Deum cervicem exprobravit, futurum ſpopondit, ut Deus ſponte ſua portentum omnium maximum ederet, Virginis ſcilicet pariturae, cujus filius *Emmanuel*, hoc eſt, nobiſcum Deus vocandus eſſet: addiditque, terram duorum illorum Regum Jeruſalem obſidentium devaſtatum iri, antequam Virginis parituræ filius annos attingeret rationi proximos. *Propter hoc*, inquit Propheta, *dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris, a facie duorum Regum ſuorum.*

Eo oraculo prænunciatum Meſſiæ ortum ſummo conſenſu contendimus, quotquot Chriſtiano nomine ſumus; favetque nativus Scripturæ ſenſus, ſi paulo penitius perdendatur. Cum etenim impius Achaz fieri non poſſe crederet, ut Dei ope a duobus potentiſſimis hoſtibus liberaretur, ſignaque in promiſſæ liberationis confirmationem oblata reſpueret; ſignificare voluit Deus, in ipſius nutu eſſe poſitum, ut majora prodigia edat, & ab hoſtibus longe potentioribus homines liberet. Quare facturum ſe, inquit, ut etiam Virgo gravida gigneret, Deumque pareret; totumque humanum genus a diaboli tyrannide, cujus levem imaginem duo illi Reges Jeruſalem obſidentes præferebant, ſine cunctatione liberaretur.

Judæi e contrario nihil, quod Meſſiam contingat, eo vaticinio prænunciari volunt; Chriſtianoſque emunctioris eſſe naris exiſtimant, qui magna inibi myſteria ſubodorentur, ubi nulla re ipſa ſunt. Quare tria ponunt hujuſce vaticinii occaſione: primum, perperam in vulgata Eccleſiæ verſione legi, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; cum hebraica vox *haalma*, quæ in primigenio textu legitur, non Virginem neceſſario ſonet, ſed puellam adoleſcentulam, quæcumque ſit illa, ſive virum experta, ſive intacta, ſive nupta, ſive innupta. Secundo, nihil miraculi fore ajunt, tametſi neceſſario legendum eſſet, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium:* Id enim, inquiunt, eo ſenſu dictum non eſſet, quaſi Virgo ſervata virginitate Deum conciperet: ſed quod Virgo cum eſſet antea, filium deflorata virginitate parturiret. Eo plane modo, quo Chriſtus de miraculis a ſe patratis Joanni renunciari juſſit, *quia cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt*, Matth. Cap. 11. v. 5. non quaſi in ipſa cæcitate, &

ſurditate viderent, atque audirent, ſed quod cæci, ſurdique cum eſſent antea, ſanata jam cæcitate, ac ſurditate, integris ſenſibus uterentur. Tertio, prænunciatum eo vaticinio contendunt longe alium a Meſſia; Ezechiam ſcilicet, filium Achaz, ut aliquibus placet; ſeu etiam ipſius Iſaiæ filium naſciturum, ut alii magis probant: quo necdum ex ephebis egreſſo, Syriæ Regnum devaſtatum eſt.

II. Tria hæc æque falſa demonſtrare officii noſtri eſt, ſi quo fœlici exitu Judæos volumus exagitare, ac celeberrimum vaticinium, quo maxime Fides Catholica nititur, ab impuris cavillationibus vindicare. Agedum, noſtram advocationem domeſticæ cauſæ accomodemus. Hoc primum eſto hodiernæ exercitationis caput: Legendum omnino in Iſaiæ oraculo, *Ecce virgo concipiet*: nec vox illa hebraica *haalma*, cum articulo emphatico *ha* ſcripta, anceps habenda, quaſi in puellam, ſive quæ virum paſſa ſit, ſive quæ ejus fuerit expers, ex æquo congruat: ſed ei ſoli neceſſario competit, quæ virginitatem adhibita cuſtodia ſervarit; quæque ad eam cuſtodiendam abſtinuerit publico, & intra parthenonos ſepta ſe continuerit.

Enimvero vox *haalma* ab hebraico themate *alam*, quod abſcondere proprie ſignificat, derivatur. Hincque ad denotandam Virginem integram deſumpta eſt; quod olim in more poſitum eſſet, ut Virgines magna diligentia ſecluderentur, & ab omni virorum acceſſu ſemotæ cuſtodirentur: ut videre eſt lib. Eſther Cap. 2. & lib. 2. Machabæorum Cap. 7. v. 19. tum apud Joſephum lib. 7. Antiquitatum Judaicarum Cap. 7. ut Scriptores prophanos ſilentio mittam. Hinc Salomon Virginem deſcribens in Canticis Cap. 4. v. 12. *Hortus concluſus*, inquit, *ſoror mea Sponſa, hortus concluſus, fons ſignatus*, quod nempe Virgines clauſæ, obſeratæ, obſignatæque eſſent, ut inviolatum Virginitatis ſuæ ſigillum, & integra pudoris clauſtra cuſtodirent.

Hoc ipſum confirmant alia non pauca Scripturarum exempla, ubi eadem illa hebraica vox *haalma*, cujus occaſione cavillari Judæi ſolent, ad Virginem viro prorſus incognitam denotandam, uſurpata eſt, præmiſſo articulo illo emphatico *ha*. Geneſis Cap. 24. v. 16. Ubi de Rebecca nondum certe deflorata, verſio latina habet, *Puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro*: textus hebraicus habet *haalma*. Idem Mariæ ſorori Moyſis attribuitur nomen, Exodi Cap. 2. v. 8. quo tempore necdum viro ſubacta fuerat. Uno verbo nullus in univerſa, qua late patet Scriptura Sacra, contextus adnotari poteſt, ubi ea hebraica dictio uſurpata legatur, ad juvenculam viro cognitam deſignandam. Nolim in his mihi fidem integram dari, quippe qui vix aliquid in hebraicis litteris balbutire audeo; Sed detur integra Hieronymo viro hebraice longe doctiſſimo, qui hebraicos Codices, non ſecus ac digitos ſuos, & ungues noverat. *Oſtendant itaque Judæi*, inquit ille, *in Scripturis alicubi poſitum haalma, ubi adoleſcentulam tantum, non Virginem ſonet: & concedimus eis, illud, quod in Iſaia apud nos dicitur, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, non abſconditam Virginem, ſed adoloſcentulam ſignificare jam nuptam*. Quocirca tria eſſe hebraica nomina obſervat Sanctiſſimus Doctor lib. 1. contra Jovinianum, quæ ſolent hac in materia ſacris in litteris uſurpari: 1. *Naara*, quod adoleſcentulam ſimpliciter ſonat, ſeu Virgo ſit, ſeu corrupta: eſtque propterea ætatis dumtaxat nomen: 2. *Betulah*, quod ex adverſo Virginem ſonat, ſive adoleſcentula ſit, ſive ætate provecta: eſtque idcirco dumtaxat integritatis nomen. 3. *Haalma*, quod utrumque ſimul ſignificat, Virginem ſcilicet, & adoleſcentulam; ut integritatis ſimul, & ætatis teneræ nomen ſit. Eoque ultimo propterea uſum Iſaiam celebri illo, quod expendimus vaticinio, ut adoleſcentulam ſimul, & Virginem parituram deſignaret. Hinc & lingua punica, quæ ex hebræa nata eſt, *Haalma* Virginem ſonare, idem ille nobis eſt auctor, in ſuis ad Iſaiam commentariis.

III. Accedit in hujuſce catholicæ veritatis confirmationem, ſeptuaginta Interpretum fides, quibus non ſtare, Judæis religio debet eſſe: ii quippe, & genere, & religione Judæi erant: Oraculum autem illud græce vertentes, nulla circuitione uſi, Παρθένον reddiderunt, quod Virginem integram denotare nemo neſcit: ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται υἱὸν, *Ecce Virgo in utero concipiet Filium*. Ita pariter habent Paraphraſes Chaldaicæ, Verſiones Syriaca, & Arabica, Virginem perinde vertentes. Quibus ex recentioribus adjungendus venit R. David Kimchi in libro Radicum, ubi eamdem illam ſignificationem ineſſe dictioni *haalma* diſerte docet. Quare ridendi omnino veniunt recentiores Hebræi, qui verſiones Symmachi, Aquilæ, Theodotionis nobis obtrudunt, ubi loco Virginis Juvenculam tranſtulerunt. Quis etenim neſciat, Symmachum Ebionitarum hæreſi fuiſſe infectum, quibus Jeſu Matris Virginitatem infiſciari, ſolemne erat: Aquilam, & Theodotionem proſelitos fuiſſe judaizantes, qui ſuas Scripturæ Sacræ verſiones ſuis erroribus accomodarunt. Egregii ſane viri, qui in hacce eliquanda controverſia judices audiantur! Scilicet, qui adverſæ partis erroribus polluuntur. Certe conſule Atheos, negabis Deum. Quid ergo mirum, ſi profeſſi Marianæ Virginitatis oſores Semi-Judæi hoc illi oraculum, quo maxime nititur, doloſis verſionibus eripuerint?

Ludunt pariter, illuduntque, qui vulgatum noſtrum Interpretem alia Scripturæ loca reddentem, *adoleſcentiam, & adoleſcentulas* quandoque vertiſſe, nobis opponunt, ubi vocabulum *haalma* in Hebræo textu poſitum erat: ut Proverbiorum Cap. 30. v. 18. *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, viam Aquilæ in Cælo, viam colubri ſupra petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia ſua*. Et in Canticis Canticorum Cap. 2. v. 2. *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis*. Primam quippe adoleſcentiam intelligit Salomon in Proverbiis, qua quis adhuc deliteſcit, & abſconditus eſt; adeoque adoleſcentiam virginalem: idque ſibi vult unum, ignorari viam viri in prima adoleſcentia ſua, quia ex prima viri adoleſcentia dignoſci non poteſt, quis tandem futurus ſit. *Haalma* itaque adoleſcentiam ſonare non diffitemur: at non qualemcumque, ſed abſconditam, ignotamque; adeoque Virginalem, qualem profecto Salomon intelligi vult, ejuſdemque vulgatus Interpres. Nec minus adoleſcentulas Virgines intelligit in Canticis Canticorum, quas & a Reginis, & a concubinis, quæ virum ſcilicet paſſæ fuerant, aperte diſtinguit, Cap. 6. v. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus*: quæ nondum viro ſubactæ fuerant. Quod lib. 3. Regum Cap. 1. diſtinctius expreſſit vulgatus Interpres: ubi illam ipſam vocem *Alma*, etiam ſine articulo emphatico *ha*, in Hebraico textu poſitam latine reddens, occaſione Sunamitidis, ita vertit: *Quæramus Domino noſtro Regi adoleſcentulam Virginem, & ſtet coram Rege, & foveat eum, dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat Dominum noſtrum Regem*.

IV. Jam quod alterum Judaicæ cavillationis caput attinet, id pari fide, atque conſtantia pronuncio: Virginem parituram eo Iſaiæ oraculo deſi-

deſignari, quæ ſervata virginitate filium edat. Conceptum etenim Virginis portendit eo loci divinus Vates, uti ſignum ingens, hoc eſt, veluti rem novam, inuſitatam, prodigialem: *Pete tibi ſignum a Domino*, inquit ille, *ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra*: Quid vero novi, ac prodigii haberet, ſi puella more communi fœminarum, poſt delibatam Virginitatem, filium eſſet paritura? Unde Hebraicus textus ita periodum effert, ut plane virginitatem partui conjungat: Ita quippe, ſi voculas ipſas, ac ſyllabas religioſius æmulari velimus, legendum venit: *Ecce Virgo prægnans, & pariens filium*. Atque hæc ipſa novitas eſt, omnibus retro ſæculis ignorata, quam verbis paululum immutatis vaticinatus eſt Jeremias Cap. 31. v. 22. *Creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum*: cum tamen, ſi Judaicis interpretamentis aures accomodamus, nullam eſſe novitatem plane liqueat, totamque, quantum quantum eſt, conceptionis miraculum evaneſcat.

V. Tertium tandem quod obtrudunt, ludicrum prorſus eſt, ac deſperatæ cauſæ apertiſſimum argumentum: eo ſcilicet Iſaiæ oraculo portendi ortum Ezechiæ filii Regis Achazi, aut certe ortum filii ipſiuſmet Iſaiæ Prophetæ. Inſulſum plane commentum! Fac enim, Filium de Virgine naſciturum non prænunciari hoc loco: fac, non promitti *Emmanuelis*, hoc eſt, pueri divini conceptum: fac, uno verbo dicam, nihil niſi communem partum denunciari: necdum tamen ad Ezechiæ filii Achaz, aut etiam ad ipſius Iſaiæ filii nativitatem prænunciandam, oraculum iſtud flecti poſſet, ut Judæi plus nimio imprudentes, nec ſatis in hiſtoria ſacra verſati fabulantur. Qua etenim amabo ſorte Ezechiæ ortum prænunciaſſet tunc temporis Iſaias, uti illorum aliqui volunt; cum is diu antea natus eſſet, multoſque jam annos numeraret? Ita porro rem eſſe, ex ſacris litteris liquet. Achaz enim, quo regnante vaticinium iſtud fuſum eſt, *ſexdecim annis regnavit*, ut habetur lib. 4. Regum Cap. 16. v. 2. Achaz autem Ezechiam filium ſuum *annos viginti quinque natum*, hæredem Regni reliquit, uti Cap. 18. v. 2. legere eſt: annos ergo circiter decem numerabat Ezechias, dum Achaz pater ejus regnum obtinuit; atque adeo multo plures numerabat annos, dum Achazo regnum obtinente, oraculum iſtud, quod expendimus, ab Iſaia pronunciatum eſt.

Sed neque fælicioribus ventis mare iſtud enavigant, qui ipſius Iſaiæ filii ortum portendi eo vaticinio commenti ſunt. Illius etenim pueri ortus portenditur, quo necdum annos rationi proximos obtinente, Samaria devaſtanda erat: *Antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris a facie duorum Regum*: Seu, ut ſequenti Capite dicitur v. 4. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ*: At quo tempore Regnum Samariæ everſum eſt, annos facile ſexdecim Iſaiæ filius numerabat; utpote qui jam anno quarto Regni Achaz natus erat; adeoque diu ante bonum a malo ſecernere noverat: aut certe diu ante, patrem, ac matrem ex nomine appellabat. Rurſus illius pueri ortus denunciatur, cujus mater, ſin minus Virgo, at ſaltem juvencula erat: ita quippe Judæi volunt: at Iſaiæ uxor Juvencula tunc profecto non erat, ſed vetula potius: non itaque illius filii ortus deſcribitur eo loci. Suis itaque retibus implicantur Hebræi, dum iſta ſuffugia quærunt, ut eliquatiſſimæ veritati nebulas offundant, partumque virgineum ſingularem promiſſi Meſſiæ prærogativam inficientur.

VI. Quod opponunt nihilominus, difficultatem non levem habet, multorumque torſit ingenia. Ajunt quippe, incredibile prorſus eſſe, ut Iſaias Achazo a duobus Regibus obſeſſo futuram liberationem promittens, in hujus promiſſæ liberationis fidem, ſignum dederit partum illum Virgineum, ortumque Meſſiæ, quem nos annis circiter octingentis poſt Achazi obitum contigiſſe exiſtimamus: rei etenim promiſſæ ſignum, quo nobis promiſſionis veritas confirmatur, rei promiſſæ exitum antevertere neceſſe eſt: alias nullam nobis promiſſæ rei fidem faciet. Non ergo Jeſu noſtri ortus eo vaticinio portenditur.

Verum non eſt ita, ut ajunt, non eſt ita. Neque etenim Iſaias virgineum partum uti prognoſticum ſignum futuræ liberationis Achazo dederat: ſed contra potius, cum prognoſticum ſignum, ſeu miraculum ab Iſaia edendum nollet Achaz, Prophetamque uti falſum ariolum deſpiceretur, nullam dictis ejus, & promiſſæ liberationi fidem adjungens: is, ut verum ſe Prophetam oſtenderet, Deumque majora præſtare poſſe, quam quæ hac occaſione Achazo promittebat, ſignificaret; partum Virgineum miraculorum omnium maximum prænunciavit, totumque humanum genus a Diaboli tyrannide liberandum vaticinatus eſt. Non ergo partus virgineus, ortuſque Meſſiæ tanquam prognoſticum liberationis Achazi ſignum datus eſt: imo potius tanquam ſignum poſthumum, ac rememorativum, ut ita loquar, prophetiæ præcedentis: Ut videlicet homines a Diaboli tyrannide Meſſiæ miniſterio tandem aliquando liberati, anteactæ liberationis Achazi recordarentur.

Extant divinis in litteris iſtiuſmodi ſigna poſthuma, ſeu memniſtica longe multa. Exodi Cap. 3. v. 12. Deus Moyſem populi liberatorem mittens, *hoc habebis ſignum*, inquit, *quod miſerim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum*: Hæc porro immolatio populi exitum, Moyſiſque miſſionem diu ſubſecuta eſt. Primi Regum Cap. 10. v. 2. Samuel poſt inunctionem Saulis in Regem, *Et hoc tibi ſignum*, inquit, *quod unxerit te Deus in principem: cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel*; & alia, quæ nonniſi poſt Saulem inunctum geſta ſunt. Sunt igitur ſigna poſthuma, & memniſtica priorum, non prognoſtica futurorum. Neque refert, quod in vivis futurus non eſſet Achaz, dum Virgo Chriſtum eſſet paritura: quia non Achazo ipſi prodigiale illud ſignum ab Iſaia datum eſt, ſed domui David: *Audite ergo domus David*: quæ ad id uſque temporis perennatura erat.

VII. Reponunt viri propoſiti tenaces: hujus pueri ortum portendi laudato Iſaiæ vaticinio, quo diſcretionis annos nondum aſſecuto, Regna Damaſci, & Samariæ devaſtanda erant: at non modo ante diſcretionis annos a Ieſu noſtro habitos, ſed & diu antequam oriretur in terris, utrumque Regnum fuerat devaſtatum: non itaque Prophetia illa refertur ad Jeſum. Verum non advertunt viri carnales, & in uno litteræ cortice dumtaxat hærentes, Prophetam pro more ſuo a figura ad rem ipſam deſignatam tranſvolare; a temporali liberatione Achazi, ab obſidione Raſin, & Phacee, ad liberationem humani generis a diabolica ſervitute, cujus hæc nonniſi ſymbolum erat. Nihil ergo ſibi vult aliud Iſaias iis verbis, *antequam ſciat reprobare malum, & eligere bonum: antequam ſciat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam*; quam genus humanum præcocibus venturi Meſſiæ virtutibus, ac laboribus, a peccati tyrannide liberatum iri. Quare & ea parte figurata locutio eſt. Sexcenta Pro-

phetarum exempla dare, facile fuerit, ubi eodem plane contextu a typis ad antitypa, a figuris ad Chriſtum, tranſitum faciunt, niſi otioſi hominis eſſet, in re compertiſſima demonſtranda diutius immorari.

VIII. Quæ hactenus in explicando, tuendoque Iſaiæ vaticinio diximus, majorem ex aliis oraculis lucem accipiunt, quæ fœminam tandem aliquam, abſque viri copia parituram portendebant. Quamquam enim quis eo partu in lucem edendus eſſet, non ita ut Iſaias adnotarint; hujus tamen ortus prærogativa, ſi res ita contingeret, præ cæteris dignum Meſſiam, Judæos non arbitror negaturos. Et quidem Levitici Cap. 12. v. 2. ita Moyſem Deus alloquitur: *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ.* Ut quid vero clauſula illa, *ſi ſuſcepto ſemine pepererit:* ſi nulla unquam mulier, niſi ſuſcepto ſemine, paritura erat? Certe aut ſupervacua plane circumſcriptio illa fuit, aut mulierem aliquam nullo ſuſcepto ſemine parituram, ea loquendi formula ſignificavit. Pariter Exodi 13. v. 2. & Numerorum 8. v. 16. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam, tam de hominibus, quam de jumentis.* Quid hoc quoque, *quod aperit vulvam;* ſi nullus unquam futurus erat primogenitus, qui matris vulvam non aperiret, atque ex matre integra naſceretur? Sed de hoc alibi plura, dum de Virgine purificata diſſeremus. Non abſimiliter lib. 2. Regum Cap. 7. v. 12. ita Deus Davidem alloquitur: *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus.* Et Pſalmo 131. v. 11. *Juravit Dominus David, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Quod non de Salomone diu antea nato, ſed de Chriſto ex Davidis genere orituro, intelligere neceſſe eſt. Quid hic porro Chriſtus ex Davidis *utero*, ſeu *ventre* egreſſurus dicitur; cum potius ex patrum lumbis, non ex patrum ventre, vel utero naſcantur filii? niſi quod illic Virginis Matris uterus deſignetur, de quo ſolo Chriſtus Dominus, promiſſum Davidi ſemen, non de lumbis, & ſemine viri proditurus erat. Ingenioſa Tertulliani obſervatio eſt lib. 3. contra Marcionem, & S. Irenæi lib. 3. adverſus hæreſes Cap. 27.

IX. Iis Scripturarum momentis invictam rationem adjiciunt Eccleſiæ Patres, qua Chriſtum virgineo partu, abſque ulla viri copia, in lucem edi debuiſſe demonſtrarunt: ut videlicet ſanctus, innocens, impollutus, nulloque originis vitio inquinatus, qualem nobis Prophetæ promiſerant, oriretur; atque *in ſimilitudinem carnis peccati miſſus a patre* (quod fatetur Apoſtolus ad Rom. 8.) *peccati tamen caro non eſſet.* Quod qua via, quave ratione ſit factum, etſi communem nobiſcum Chriſtus naturam aſſumpſerit, eleganter præ cæteris explicant D. Auguſtinus, & D. Fulgentius, adverſus Pelagianos; qui peccatum originale, ex vitiata origine transfuſum in poſteros pernegabant, ne & illo Chriſtus ipſe inficeretur, communique nobiſcum lege teneretur.

Auguſtinus lib. 5. contra Julianum Pelagianum Cap. 15. *Quid eſt quod laboras magnis argumentationibus pervenire ad impietatis abruptum: ut Chriſti caro quia de Maria natus eſt, cujus virginis caro ſicut cæterorum hominum ex Adam fuerat propogata, nihil diſtet a carne peccati; & ſine ulla diſtinctione Apoſtolus dixiſſe credatur, eum fuiſſe miſſum in ſimilitudinem carnis peccati; imo potius inſtas ut nulla ſit caro peccati, ne hoc ſit & Chriſti? Quid eſt ergo ſimilitudo carnis peccati, ſi nulla eſt caro peccati? Sed hanc Apoſtolicam ſententiam me non intellexiſſe dixiſti: nec eam tamen expoſuiſti, ut te doctore noſſemus, quod aliqua res poſſit eſſe ſimilis ei vei quæ non eſt. Quod ſi dementis eſt dicere, & ſine dubio caro Chriſti non eſt caro peccati, ſed ſimilis carni peccati; quid reſtat ut intelligamus, niſi ea excepta omnem reliquam humanam carnem eſſe peccati? Et hinc apparet illam concupiſcentiam, per quam Chriſtus concipi noluit, feciſſe in genere humano propaginem mali: quia Mariæ corpus quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterum corpus Chriſti inde dictum eſſe in ſimilitudine carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati eſt, quisquis negat; & carnem Chriſti ita carni comparat naſcentium hominum cæterorum, ut aſſerat utramque eſſe puritatis æqualis, deteſtandus hæreticus invenitur.* Libro 2. de peccatorum meritis & remiſſione Cap. 24. *Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec ſumpſit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim carnis inde ſuſcepit, id profecto aut ſuſcipiendum mundavit, aut ſuſcipiendo mundavit. Ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, id eſt, non coucupiſcentiæ carnalis motu concipientem, ſed pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur elegit.* Et lib. 10. de Geneſi ad litteram Cap. 18. *Quid incoinquinatius illo utero Virginis, cujus caro etiamſi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit; ut ne ipſum quidem Corpus Chriſti lex ſeverit in utero Mariæ, quæ in membris poſita corporis mortis, repugnat legi mentis: quam ſancti patres conjugati refrænantes, non quidem niſi quouſque licebat, in concubitum relaxaverunt; nec tamen tantummodo quouſque licebat ejus impetum pertulerunt. Proinde corpus Chriſti quamvis ex carne fœminæ aſſumptum eſt, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat; tamen quia non ſic in ea conceptum eſt, quomodo fuerat illa concepta, nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati.*

S. Fulgentius libro de incarnatione & gratia Jeſu Chriſti, quam ſuo & Collegarum Epiſcoporum in Sardinia exulum nomine ſcripſit, Cap. 6. *Neque enim ſancta Virgo Maria Deum ſine carnis aſſumptione, nec carnem ſine unitione concepit; quia ille conceptus Virginis, Deo fuit carnique communis. Hæc eſt gratia, qua factum eſt, ut Deus qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non eſt, homo conciperetur, & naſceretur in ſimilitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat, humana ſolemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quæ filium Dei genuit in ſimilitudine carnis peccati. Propterea vero in ſimilitudine carnis peccati miſſus eſt Dei filius, idem qui in ſimilitudine hominum factus; ut & ſimilis hominibus fieret, in veritate carnis quam ipſe creaverat, & diſſimilitudinem noſtram Deus in carne ſine peccato creatus auferret; quam noſtræ carni non ex opere ſuo, ſed ex noſtro peccato ineſſe cernebat. In ſimilitudine igitur carnis peccati Dei Filius miſſus apparuit, quæ in ejus vera humana carne non iniquitas hominis, ſed mortalitas fuit. Similitudo vero carnis peccati cum dicitur, credendum eſt Unigenitum Deum, de Virginis carne non traxiſſe peccati ſordem, ſed accepiſſe naturæ integram veritatem; ut veritatis ortus de terra exiſteret, quem prophetali ſermone Beatus David inſinuat dicens, Veritas de terra orta eſt. Vere igitur Deum verbum Maria concepit, quod incarnatum peperit, quam Deus accepit.*

Quæ profecto Patrum momenta Judæos perinde urgent, ac Pelagianos, ut Virgineum Mariæ partum agnoſcant & ipſi, quo Chriſtus ſanctus, innocens, impollutus ederetur in lucem. Modo ta-

men

men aliunde communem originalis peccati legem, a qua Chriſtum oporteat eximere, una nobiſcum agnoſcant: quam ubi ſe dabit occaſio, adverſus illos ipſos, invictis veteris Teſtamenti oraculis ſtatutam demonſtrabimus. Præſentis enim non eſt inſtituti & operis.

X. In hanc uſque diem, de variis prenunciati Chriſti notis, dotibus, characteribus diximus: ut falſa Judeorum præjudicia revelleremus, quibus longe alium orituram ſibi Chriſtum animo fingunt, quam quem Sacra Scripturarum Oracula promiſerunt. Poſtulat in preſentia ſuſcepti operis ratio, ut de prefinito ſalutaris adventus tempore dicamus. Quod ubi ſemel Jeſu noſtro naſcente elapſum, impletumque probaverimus; certo jam, invictoque momento colligemus, talem dudum re ipſa veniſſe Chriſtum, qualem venturum Lex, & Prophete prenunciaverant.

EXERCITATIO XI.

De Chriſto, ſtante ſecundo Templo, mortalibus orituro.

I. ABſoluta, de Chriſti promiſſi notis, dotibus, characteribus prolixiori tractatione, qua Judæorum ignotum Sacris Vatibus Liberatorem effingentium hallucinationes reteximus, confutavimus; alteram de prefinito optati adventus tempore commentationem aggredimur, ut Judaicam perfidiam, undecumque id fieri poterit, impetamus. Hactenus omnes veri Meſſie dotes ſacris in litteris præſignatas uni Jeſu Nazareno congruere, multis oſtendimus; nunc notatas ſalutaris adventus periodos, necnon definita ortus illius optatiſſimi tempora, in ejuſdem Jeſu noſtri ætatem incidere, admotis veluti calculis, demonſtrabimus.

Cæterum, ut eſt iſtud magnæ molis opus, nec una exercitatione conficiendum, rem totam per partes aggrediamur; hocque unum erit hodiernæ prælectionis argumentum: Meſſiam a ſacris Vatibus prænunciatum certiſſime naſciturum fuiſſe, ſtante, adhuc ſecundo Salomonis Templo; ſeu, ut clarius dicam, ſtante Salomonis Templo, quale a Zorobabele, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, ſub Cyro Perſarum Rege inſtauratum erat: nec ultra poſt ſecundi Templi hujus excidium, adventum Meſſiæ protrahi poſſe. Quare cum inſtauratum a Zorobabele Salomonis Templum, annis ſubinde poſt Chriſtum noſtrum in Cœlos elatum triginta ſeptem everſum, ſoloque æquatum fuerit, ſub Veſpaſiano nimirum, & Tito, conſequens omnino eſt, Meſſiam ante Veſpaſiani, ac Titi imperium adventaſſe: recteque idcirco ſalutaris illius adventus epocham, in Jeſu Nazareni ætatem incidiſſe. Atque ita Judæos ignoranter, ac perperam ſuum etiamnum hodie Liberatorem expectare, qui dudum advenit.

II. Amplam nobis probationum copiam ſubminiſtrat Aggæas Propheta Cap. 2. Prophetiæ ſuæ, ſi cum libro primo Eſdræ Cap. 3. conferatur. Rem paucis exponam, ut eruendi inde argumenti vis percipi facilius poſſit. Everſa primitus Jeroſolyma, dirutoque Salomonis Templo, Judæos captivos in Babylonem deportaverat Nabuchodonozor Rex, anno ante Chriſtum noſtrum ſexcenteſimo ſexto. Annos ſeptuaginta perduravit ſæva captivitas, quibus demum exactis, Judæi a Cyro Perſarum Rege libertate donati ſunt, veniamque Templi inſtaurandi, ſuis tamen ſumptibus, impetrarunt. In hanc operam potiſſimum intenderunt Zorobabel filius Salathiel, & Jeſus Filius Joſedech. Verum, ut erant tunc temporis Judæorum acciſæ vires, exhauſtum ærarium, adeo inſtaurati Templi moles a prioris Templi pompa, majeſtate, & magnificentia procul aberat, ut quotquot inter Judæos levem aliquam priſtini Templi memoriam retinerent, in lacrymas ſolverentur. Lacrymantem populum ſolatus eſt Deus; inſtaurati Templi prærogativas, quibus priſtinum ſuperaret, commendando, ac celebrando, hiſce verbis obſervatione digniſſimis, apud Aggæam Prophetam Cap. 2. v. 7. *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo Cælum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum . . . . Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Tot hic in Judæos decretoria argumenta, quot verba: tot effata, quot apices. En etenim deſideratum cunctis gentibus, qui Templum illud ſecundum a Zorobabele inſtauratum, ſua gloria ſit repleturus: en pacem ſalutarem eo in Templo dandam hominibus: en Cœlum terramque, ac omnes etiam Orbis populos commovendos: en noviſſimi Templi gloriam priſtini Templi gloria ſuperiorem, majoremque. Stant porro univerſa hæc in noſtra Chriſtianorum hypotheſi; qua ponimus, verum Meſſiam Templum iſtud ſecundum (antequam a Romanis ſecundo everteretur) præſentia ſua, miraculis, adhortamentis, orationibus illuſtraſſe, conſecraſſe. Meſſias enim deſideratus cunctis gentibus ſacris in litteris nuncupari ſolet: Is ſalutarem animorum pacem, reconciliato hominibus Deo, fidelibus dedit: Is novæ legis inſtitutione, omniumque gentium in unius Eccleſiæ fidem conſociatione, Cœlum, terram, populoſque commovit univerſos: Is divina prorſus majeſtate, ac gloria, qua major Salomone fuit, Templum replevit, & illuſtravit: Ut plane tot illis titulis ſecundum hoc Templum, priſtinum modis omnibus ſuperarit. Atque ita in Chriſtianorum hypotheſi, Aggææ prophetia plenam, & integram ſortita eſt veritatem. Verum in hypotheſi Judæorum, qui Meſſiam ſecundum illud Salomonis Templum præſentia ſua illuſtraſſe diffitentur, eumque temporibus illis Mundo illuxiſſe inficiantur, quocumque ex capite Agææ prophetia falſa eſt: nihil enim eorum, quæ ab Aggæa ſunt memorata, eo in Templo peractum eſſet, unde prioris Templi gloriam ſuperaſſe, dici poſſet. Maxime cum ultra ſtructuræ exiguitatem, multa ſecundo huic templo decoramenta deeſſent, quæ priſtinum a Salomone conſtructum potiſſimum illuſtrabant. Cujuſmodi ſane fuerant, Arca fœderis, quæ *gloria Iſrael* excellentia quadam vocabatur, 1. Reg. 4. Divinaque reſponſa olim in propitiatorio reddi ſolita, aliaque id genus multa, quæ eleganter proſequitur D. Joannes Chryſoſtomus Oratione 3. contra Judæos.

III. Riſum tenere vix poſſum, dum Judæorum effugia recolo, quibus argumenti hujuſce vim eludere adnituntur. Jactant ſcilicet nonnulli, ad hujuſce ſecundi Templi gloriam exaggerandam; Alexandrum Macedonum Regem ad illud aliquando ſupplicem acceſſiſſe: magnumque Herodem hoc idem munificentia plane regia exornaſſe. Sit ita porro, per me licet; an ergo propterea priſtini Templi dignitatem, & gloriam ſuperaſſe dici poſſet; quaſi Alexandri, aut Herodis majeſtas plus illi dignitatis attuliſſet, & gloriæ, quam vel unius Salomonis contulerat primo? Aut etiam, quod abſurdum magis, vel Herodes, vel Alexander *deſideratus cunctis gentibus* dici poſſet? Cum tamen promiſerit Deus, futurum ut deſideratus

cun-

cunctis gentibus hoc Templum ſubiturus eſſet. Reponunt alii, majorem ſecundi Templi gloriam dictam eſſe, ob majorem ſcilicet illius diuturnitatem: quod primum annis dumtaxat quadringentis viginti duobus perduraſſet; facta nimirum computatione, ab anno Salomonis undecimo, quo perfectum eſt ſacrum opus, ad annum Sedeciæ undecimum, quo a Rege Nabuchodonozore igne abſumptum aſt: Alterum annis circiter quingentis ſeptuaginta perennarit, donec a Romanis una cum Urbe ſuccenderetur. Perperam tamen, ac futiliter; cum non ex novi operis diuturnitate aliquanto majori gloriam illam, & excellentiam petierit Deus, ſed ex Servatore a cunctis gentibus expetito, Templum iſtud ſubituro; & ex pace illic ab eodem mortalibus concedenda, quod ex utroque laudato oraculo perſpectum eſt. Sunt denique qui reponant, in eo majorem ſecundi Templi gloriam fuiſſe poſitam, quod repugnantibus Judaici nominis hoſtibus ſit extructum; primum vero ſumma, & integra pace. Cujus quoque reſponſi nugacitas, tametſi patet ipſa per ſeſe, alio adhuc ex capite ruit: quod nimirum major illa ſecundi Templi gloria, uti futura promitteretur a Deo; iſta, qualiſcumque a Judæis fingitur, præterita eſſet.

Quandoquidem autem de pace ſermo incidit, a Judæis ſcire velim, quo pacto, quave ratione in hoc ſecundo Templo datam nobis pacem oſtendent, qui ſpiritualem pacem a Meſſia ibidem datam inficiantur? Enim vero, ſi de temporali pace, quam unicam Judæi norunt, interpretentur oraculum, vereor ne minus ſecundo huic Templo pax fuerit, quam alteri præcedenti. Ecquis enim neſciat, quam impotenter furiis invectus Seleucus expilationem ejus attentarit; quam fœde prophanarit Antiochus, ac deinde Pompejus; quam ſacrilege idolis, ac ſuo prẹſertim ſimulacro dehoneſtare præſumpſerit Cajus; quam ferociter in idem exarſerint Veſpaſianus, & Titus, illudque tandem ſolo æquarint? Vertant igitur ſeſe in omne latus miſeri homines, horum alterum admittere compelluntur; aut Meſſiam ſtante etiamnum Salomonis Templo a Zorobabele reſtituto, & inſtaurato adventaſſe, illudque præſentia ſua illuſtraſſe, conſecraſſe; aut nullam divino huic Aggæi Oraculo veritatem ineſſe.

Nihilo fælicius elabuntur, qui relicta vulgatẹ verſionis lectione, *Veniet deſideratus cunctis gentibus*, cum ſeptuaginta Interpretibus legi volunt: *Venient electa omnium Gentium*: iiſque ſignificari verbis exiſtimant, Gentilium multos, ad viſendum Templum acceſſuros honoris gratia, & optima quæque ac pretioſa dona oblaturos: quod nihil plane cum prænunciato Meſſiæ adventu commune habet. Ut enim ſileam, vulgatam verſionem noſtram, ad Hebraici textus veritatem propius accedere; ſecundum quam ad amuſſim vertendum eſt, *veniet deſiderium cunctarum Gentium*: (quæ figurata & antonomaſtica locutio eſt) in eumdem præterea ſenſum redit ſeptuaginta Interpretum verſio. Cum & Meſſias ipſe, *electa*, *ſeu optata*, *ac deſiderata omnium Gentium* merito dici poſſit, ac etiam debeat: quod omnia Gentibus electa optataque bona contulerit, omniaque cum illo bona Gentibus univerſis obvenerint: quod de divina ſapientia dictum eſt, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Ipſa quoque ſacri, quod expendimus, Oraculi adjuncta, de quibus paulo antea dicebamus, de venturo Meſſia cunctis gentibus deſiderato hæc dici, tam aperte evincunt, ut ad aliud ſignificandum trahi, omnino non poſſint. Præſertim cum vel ipſe rerum eventus palam oſtenderit, falſum eſſe, quod a ſeptuaginta Interpretibus ſignificatum effutiunt. Nullæ enim Gentes, pietatis religioniſque cauſa, Jeroſolymitanum Templum adiere, ſed ad diripiendum expilandumque. Solum Alexandrum magnum in eo legimus hoſtias immolaſſe: at, ut prudenter Auguſtinus obſervat lib. 18. de Civit. Dei Cap. 45. *Non ad ejus cultum vera pietate converſus, ſed impia vanitate cum Diis falſis colendum putans*. Neque illuc honoris cauſa venit, ſed ut Civitatem ſubjugaret: quamquam cum illi reſiſtere non ſint auſi, placatum facillime ſubditi receperint: ut idem notat ſanctiſſimus Doctor.

IV. His robur adit, quod legimus apud Malachiam Prophetam. Fuit ille, ut notum eſt, Prophetarum ultimus, qui etiam inſtaurato per Zorobabelem Salomonis Templo prophetiam adornavit; eo maxime tempore, quo Judæi ſecundi ædificii mole inſpecta, a lacrymis temperare non poterant, quod priores comparatione vilius videretur. Hos ille, non aliter quam Aggæas, ſolari aggreſſus eſt, futurum ſpondens, ut ad ipſum Templum brevi Meſſias accederet: qui nomen ei ſuo adventu, dignitatem, & gloriam conciliaret. *Ecce ego*, inquit Deus Malachiæ 3. v. 1. *Mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; & ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus exercituum*. Certe Judæorum neminem fore puto, qui nomine Dominatoris, & Angeli, ſeu Nuncii Teſtamenti ab Hebræis tamdiu expetiti, alium a Meſſia ſignificari contendat: maxime cum illum aliis etiam notis ſubinde indigitet Malachias, quæ in unum Meſſiam referri valeant. Ad illud itaque Templum Meſſias venturus erat: atque adeo ante Veſpaſiani, ac Titi imperium, a quibus tandem everſum eſt Templum, Meſſias Mundo illuxit.

Inquis tamen mihi: Ruit hoc totum, quod ex Malachia & Aggẹa petitur argumentum, de Chriſto Domino Templum a Zorobabele inſtauratum præſentia ſua illuſtrante, ac veluti conſecrante; ſi quod memoriæ Joſephus prodidit lib. *6.* de Bello Judaico Cap. *6.* & lib. 15. Antiquitatum Cap. 14. veritatem habet: Illud ſcilicet a fundamentis everſum eſſe ab Herode magno, novumque loco ejus magnificentius ac majus ab eodem extructum. Sic enim non Zorobabelicum Templum, ſed Herodianum ſubiit Chriſtus, ſuaque præſentia illuſtravit; nihilque in eo perfecit illorum, quæ & ab Aggæa & a Malachia fuerunt prænunciata. At quis tu mihi Hiſtoricus es, qui Joſephum talia ſcribentem in aperto errore non teneas? Primum, quod Herodi immenſis jam ſumptibus exhauſto, tanta pecuniæ vis non ſuppeteret, quanta ad templi tam magnifici fabricam opus erat. Secundo, quod Herodianum Templum, annis novem cum dimidio abſolutum ſcripſerit Joſephus lib. 15. Antiq. Quod vero Chriſto Domino mortalem vitam agente ac prædicante ſtabat, quadraginta & ſex annis fuiſſet ædificatum, ut legitur Joannis Cap. 2. v. 20. *Dixerunt ergo Judæi, quadraginta ſex annis ædificatum eſt Templum hoc; & tu in tribus diebus excitabis illud?* Quod de Zorobabelico Templo, vulgari opinione tenebatur: comprehenſis ſcilicet annis, quibus cœptum ſemel opus interruptum fuerat. Non aliud itaque a Zorobabelico Templum ſtabat, Chriſto cum hominibus converſante: quamquam Herodis munificentia amplificatum, noviſque porticibus auctum: quæ res Joſepho, ſtruendi mendacii; aut certe exaggerandi moliminis, cauſa fuit: ut erectum a fundamentis diceret, quod aliqua duntaxat ex parte recens exſtructum erat. Stat ergo quocumque res cadat, quod contra Judæos, ex Ag-

gæi & Malachiæ oraculis petitur argumentum.

Creſcit autem in immenſum argumenti robur, ſi in noſtrorum temporum Judæos ſermonem convertamus. Enim vero Aggæus, & Malachias Meſſiam brevi tunc naſciturum protendebant; ac velut ſtaret in januis. *Adhuc unum modicum eſt*, inquit Aggæas, *& movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus . . . . . . Ecce ego mitto Angelum meum*, inquit Malachias, *& ſtatim veniet dominator: &c. Ecce venit &c.* Quibus etiam conſentit Habacuch Propheta Cap. 2. v. 3. *Veniens veniet, & non tardabit*. Prophetabant illi porro annis ante Jeſum noſtrum quingentis circiter, ac viginti: quibus ſi addamus annos 1718. quos in præſentia a Jeſu noſtro numeramus, recurrent anni bis mille ducenti triginta & octo, quo ex tempore Prophetæ illi tres Meſſiam proxime, brevique venturum promiſerunt. Et tamen, ſi Judæis fidem adjungimus, nondum advenit. Quis, quæſo, cæcam obſtinationem non videat, lugeatque?

V. Sed audite, quæſo, quid illorum uni non ita pridem in mentem venerit, ut hujuſce argumenti vim elideret. Repoſuit ille, Prophetas ante laudatos Meſſiam intra modicum tempus oriturum dixiſſe, tametſi nequidem hodie venerit, poſt annos bis mille ducentos, & quod excurrit; quia apud Deum immenſa temporum ſpatia inſtar momenti reputantur, juxta illud Prophetæ Regis oraculum, *mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præteriit*. Pſal. 89. v. 4. Sit ita vero; ut re ipſa eſt, immenſa temporum ſpatia inſtar momenti Deo reputentur: at ubi Deus alloquitur homines, eiſque certas ad aliquid deſignandum temporum periodos definit, tales illas accipere neceſſe eſt, quales hominibus periodi fiuunt, non quales Deo, cui nil effluit, ſed omnia ex æquo præſentia ſunt. Alias nihil ex Dei verbo certi colligeremus: ſicque temporum notæ divinis in litteris frequenter expreſſæ nihil unquam certi deſignarent: ſiquidem nulla apud Deum temporum intervalla, atque diſcrimina reperire licet. Sed & dicat magnus ille Judæorum Apollo, cur extremi dumtaxat Prophetæ, Meſſiam intra breve tempus oriturum prædicarunt, non itidem antiquiores? Certe ſi quod ille reponebat, veritate conſtaret; quidni etiam Moyſes, quidni Abraham, quidni Adamus ipſe Meſſiam intra modicum tempus oriturum dixiſſent? Nam & totum tempus, quod ab Adam ad Chriſtum, imo ad diem uſque judicii fluit, Deo ipſi modicum, & momentaneum reputatur. Faceſſant ergo nugaces, & malenati Circulatores.

VI. Gravia ſunt hæc, ſed addam, quæ Judæis multo certius jugulum petant. Uſque adeo ex ſacrarum Litterarum oraculis compertum eſt, Meſſiam eo ſæculo fuiſſe naſciturum, quo Jeſus noſter Mundo illuxit, ut hæc ipſa inter illius ætatis Judæos receptiſſima opinio eſſet, ac certa ſententia. Non hic ergo Judæos illos numerabo, quos ea tunc perſuaſione fuiſſe imbutos, ſacrum memorat Evangelium: Simonem, quem tunc *expectaſſe conſolationem Iſrael*, monet Lucas Cap. 2. v. 25. Annam prophetiſſam filiam Phanuelis, *Redemptionem Iſraelis* pariter præſtolantem, v. 38. Mulierem Samaritanam Chriſto noſtro dicentem, Joan. 4. v. 25. *Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus*: Non hos, inquam, appellabo: ſed Judæos propriorum librorum auctoritate convincam: quod ante me erudite præſtitit Illuſtriſſimus Præſul Petrus Daniel Huetius in Demonſtratione Evangelica, e qua nonnihil hic delibare, nulla mihi invidia ſit.

Legimus igitur in Thalmude, maxime in libro Sanhedrin Capite ultimo, Scholam Eliæ, non quidem Prophetæ hujus celebris, ſed alterius Hebræi Doctoris inter ſuos præſtantiſſimi, Scholam, inquam, Eliæ, totum Mundi tempus ab Adam uſque ad finem ſæculorum ſex annorum millibus definiviſſe; quorum duo millia priora, ante Circumciſionis legem Abrahæ datam, fuerit *Thou*, id eſt inanitas: duo millia ſequentia, Lex: poſtrema duo, Meſſiæ Regnum. Meſſias ergo juxta eam Eliæ Sholam, expleto quarto Mundi millenario, Regnum ſuum auſpicaturus erat. Ac re ipſa quidem expleto quarto millenario natus eſt Jeſus noſter. Fertur & in libris Rabbinorum, confeſſos eſſe majores ſuos, qui temporibus Jeſu noſtro paulo ſuperioribus vixere, Meſſiæ adventum fuiſſe tunc imminentem. Fertur iiſdem in libris, Judæos, qui tempore ſecundi excidii Jeroſolymitani viverent, arbitratos jam tunc Meſſiam adventaſſe, ſed ignotum alicubi latitaſſe. Tradidit Rabbi Salomon Jarchi, aſſeveraſſe priſcos gentis ſuæ Doctores, Meſſiam eo die natum, quo exciſa eſt Jeroſolyma. Sed & in eodem libro Sanhedrin, ubi varia Rabbinorum deliramenta, de Meſſiæ adventu referuntur, notantur nonnulli Rabbini, qui dixerint, Meſſiam veniſſe quidem, antequam Templum Jeroſolymitanum ſecundo excideret, ſed inter horti Eden delicias ævum agitare cum Elia Propheta, a quo tandem aliquando ungendus ſit oleo lætitiæ, dum ad muneris ſui adminiſtrationem prodibit. Notantur & alii Rabbini, qui finxerint, eum tunc re ipſa veniſſe, ſed Romæ inter ægros lepra laborantes latitaſſe; qua de cauſa ab Iſaia de illo dictum eſſe, *& nos reputavimus eum quaſi leproſum*: ratum vero tempus, quo ex his latebris emerſurus eſſet, non deſignarunt. Adeo ſcilicet perſuaſum Judæis erat, ſtante adhuc ſecundo Salomonis Templo, ac ſub Nazareni noſtri temporibus, notatas Meſſiæ adventus periodos ſucceſſiſſe.

VII. Ex hac eadem pervulgata inter Judæos opinione, (quod nempe eo tempore Meſſias venturus eſſet, quo Chriſtus noſter Mundo illuxit) pullulavit multorum ambitio, qui Meſſiæ nomen, & dignitatem uſurpare tunc auſi ſunt: cum tamen ante id temporis quemquam hoc attentaſſe, nulla prodat Hiſtoria. Primus, ut erudite notat laudatus Præſul Huetius, hac impietate ſeſe illigavit Herodes magnus, qui ſectam de ſuo nomine celebrem fecit, a qua uti Meſſias agnoſcebatur. Chriſtos poſtea ſe ipſos profeſſi ſunt vecordes illi Samaritani Doſithæus, & Simon. Imperium deinde tenente Adriano, Meſſiam ſe dixit Bar-cocheba ſive filius Stellæ; hoc inſignitus nomine, quod ſibi nobile illud Balaami vaticinium accommodaret: *Orietur ſtella ex Jacob*, Num. Cap. 24. v. 17. Deinde vero Bar-cuziba, hoc eſt, filius mendacii dictus eſt, poſtquam ejus impoſtura deprehenſa fuit. Bar-cochebæ veſaniam imitati ſunt Rufus ipſius filius, ac deinde Romulus nepos, ſed infælici prorſus exitu. Varii ſubinde exorti ſunt pſeudo-Chriſti; velut inſignis ille David Eldavid, qui Perſidis Regem bello laceſſere auſus, veſaniæ tandem ſuæ pœnas capite luit: aliique plures, quos memorare hic longum eſſet, in Epiſtola Maimonidæ ad Rabbinos Maſſilienſes, & in libro *Schebet Jebuda* recenſiti. Unde porro, unde nata eſt tanta illa apud Judæos ſuffurandi Meſſiæ tituli ambitio, quo ex tempore Jeſus noſter Mundo illuxit, cum nullus in anteceſſum id attentaſſet? Niſi quod Judæorum animos ea jam tunc occupaſſet opinio, promiſſi Meſſiæ tempora ſucceſsiſſe, dum Chriſtus noſter obortus eſt.

Ac re ipſa quidem, tametſi Judæi, qui Jeſum no-